

tentias. Unde plerumque ista probabilitas opinionum secuta non est, licet plurimum placita, et consulta super his reperiantur, et alias sint viri docti et litterati, qui id dicunt, sicut fuerunt quadringenti prophetæ, qui Achab, et Josaphat prænuntiabant felicem successum belli, et tamen decipiebantur a spiritu nequam, ut dicitur in Reg. xxii. Unde et modo etiam multi, qui prophetæ et docti videntur, facile decipiuntur, et decipiunt principes. Et ideo ut possit quis probabile iudicium ferre in formanda conscientia ex auctoritate eorum, quos consulunt, oportet ut non solum sit vir doctus, et litteratus, sed et timoratus, et sine respectu particulari tradat consilium, sed cum indifferentia.

XXXV. Unde et principes, ut securi sint in consiliis, et consultationibus debent observare duo; alterum ex parte sua, ut interrogent cum indifferentia, et non præmittendo, et insinuando intentum suum, et partem quam volunt justificari: alterum ex parte consulentium, quod attendant rationes eorum, et fundamenta, eaque ponderent, quia in his non potest esse deceptio, quia qui juxta pondera et momenta rationum procedit, per intrinseca principia procedit, non per extrinseca, nec sola auctoritate ejus quem consulit ducitur. Quod si auctoritate ducatur, illa sit ex classicis, et antiquis auctoribus, apud quos rationes et fundamenta sufficientia dari præsumitur, et sic istæ antiquorum auctoritates inter fundamenta opinionis probabilis reputantur.

XXXVI. Petes: An possit formari conscientia probabilis ex revelationibus particularibus, quæ sibi vel aliis fiunt. Respondetur quod revelationes istæ particulares quamdiu ab Ecclesia non approbantur, vel interiorem aliquam certitudinem imprimunt, non obligant nos illas

credere, licet spernendæ non sint, sed regulandæ penes ea quæ continent, et dicunt. Et quidem si ea quæ talibus revelationibus manifestantur in se bona sint, et juxta regulas fidei, et bonorum morum congruentia, utique secundum illas potest formari conscientia, non ratione talium revelationum, sed ratione rerum revelatarum, quia in se bonæ sunt. Si autem revelationes istæ contineant aliquid extraordinarium, vel promissionem aliquam, aut comminationem in futurum, aut etiam aliquid dispensativum a præceptis, illisve contrarium, non sunt credendæ privato spiritu, sed Ecclesiæ remittendæ, nec juxta illas formanda est conscientia, sed juxta legem Dei, et Ecclesiæ mandata. Et in universum non est illis danda auctoritas, aut specialis credulitas ex nostro privato sensu, cum præsertim sæpius loquantur in sensu obscuro, aut æquivoco, nec obligandum ut illis credamus ex nudo dicto eorum qui prophetant, aut sibi dicunt factas esse revelationes, sed observandum est statutum capite Cum ex injuncto, de hæreticis, ut nullus credatur specialiter a Deo missus, nisi aut miraculo, aut evidenti Scripturæ testimonio id probaverit. Si tamen res quas continet talis specialis revelatio in se bonæ sint, bene possunt sequi ratione sui, non ratione revelationis.

XXXVII. Diximus autem supra, quod per se loquendo sola personæ auctoritas non facit probabile iudicium practicum: nam per accidens pro aliquo casu, et in defectum aliorum cum quibus consuli potest, bene potest ex unius auctoritate formari iudicium prudens, quia scilicet in consulendo illo facit quis totum quod potest, nec pro tunc invenit alium cum quo conferat. Et hac ratione illitteratus sæpe excusatur, et format sufficiens dictamen practi-

cum ex consultatione unius viri docti, quia ipse non potest de re illa per seipsum judicare, et alias non habet alios cum quibus consulat; præsertim si videat talem virum doctum operari juxta talem opinionem, et alias esse timoratum, nec enim præsumere debet quod talis illicite agat. Nunquam tamen est tutum, neque consulendum, quod illitterati ex libris auctorum velint suam conscientiam componere, et formare dictamen, quia communiter non intelligunt, nec discutunt id quod legunt, et sic falluntur; sed debent consulere viros doctos, et timoratos, et unusquisque consulatur in facultate quam profitetur: et si negotium fuerit majoris difficultatis, plures et peritiores consuli debent juxta qualitatem materiæ, quia in re morali concordia plurimum magnam vim habet ad formandum prudens iudicium.

QUOMODO POSSINT CONTRARIÆ OPINIONES ESSE PROBABLES?

XXXVIII. Dubium est in hac parte propter ipsam contrarietatem assensuum. Nam qui dicit hanc opinionem esse probabilem iudicat rem illam ita esse, et posse sequi. Judicando autem oppositam sententiam probabilem, etiam iudicat illam esse veram, et posse sequi, ergo habet duos assensus contrarios in intellectu, judicando hoc esse verum, et oppositum etiam esse verum, atque adeo primum esse falsum, quia si oppositum est verum, ipsum redditur falsum.

XXXIX. Si dicat posse intellectum judicare hoc esse verum, et falsum procedendo ex diversis principis, ita quod iudicet hanc opinionem esse probabilem, et veram

ex principis intrinsecis, oppositam vero esse etiam probabilem, et veram ex principis extrinsecis, vel ex aliis fundamentis,

XL. Contra est, quia non potest aliquis etiam ex diversis fundamentis, et principis assentiri duabus contradictoriis, et negare in uno assensu id quod in altero affirmat, sic enim in multis casibus possent duæ contradictoriæ iudicari veræ, quod tamen impossibile est, quia quidquid una affirmat, altera negat: nec potest intelligi, quod Petrus sit albus, et non albus simul ex diversis principis.

XLI. Si autem dicatur, quod non possunt dari duo assensus contrarii circa veritatem rei, bene tamen circa probabilitatem, quia probabile non est idem quod verum, sed quod apparet verum. Potest autem esse apparentia quod hoc sit verum, et esse apparentia quod non est verum,

XLII. Contra est, quia licet probabilitas sit apparentia veri, tamen dum stat iudicium, et assensus pro ista parte iudicat de facto illud esse verum ex vi talis apparentiæ, quia si iudicaret falsum esse, non existimaret illud probabile, sicut nec credibile; nec enim falsum cognitum ut falsum potest accipi ut probabile, vel credibile, debet ergo cognosci et iudicari ut verum. Ergo stante hoc iudicio probabili quod hoc est verum, non potest stare alterum iudicium quod oppositum, seu contradictorium ejus etiam est verum, et sic non possunt esse simul duo assensus probabiles oppositi circa idem.

XLIII. Confirmatur, quia probabile practice non est de ipsa veritate rei, sed de convenientia, quæ potest sequi hic et nunc. Hoc autem est absolutum iudicium, quia est determinatum, et efficax imperium, quo iudicatur hoc determinate, et abso-

lute esse faciendum. Ergo si opposita sententia est etiam probabilis practice, datur aliud absolutum iudicium, quod hoc non est conveniens hic et nunc, ergo non possunt duæ sententiæ oppositæ circa idem esse probabiles practice, et prudentialiter.

XLIV. Respondetur non repugnare circa idem formari diversas, et oppositas sententias probabiles etiam practice, quia neutra affirmat aut negat absolute veritatem, sed solum probabiliter, aut fallibiliter. Unde iudicium quod affirmat hoc esse verum probabiliter non contradicit, nec repugnat iudicio neganti illud etiam probabiliter: sicut in modalibus dici solet, quod non sunt contradictoriæ propositiones, quæ fiunt cum modo contingenter, ut Petrus contingenter disputat, Petrus contingenter non disputat, eo quod ly contingenter includit esse, et non esse secundum possibilitatem. Sic ergo qui habet iudicium probabile circa aliquam veritatem, vel fert absolutum iudicium, licet ex motivis probabilibus deductum; vel non absolutum, sed cum quadam restrictione, quam ipsa probabilitas postulat, dicendo scilicet: Hoc videtur verum, non autem absolute affirmando: Hoc est verum. Si absolute pronuntiat dicendo: Hoc est verum, non potest oppositum iudicium formare, scilicet: Hoc non est verum, vel hoc est falsum, nam esse et non esse sunt contradictoria. At vero videri verum, et videri non verum, seu apparere hoc esse verum, et apparere oppositum esse verum, non sunt contradictoria, quia apparere et apparere non dicunt affirmationem, et negationem formaliter, sed utrumque est positivum, licet objective circa negationem et affirmationem, seu circa verum et non verum versentur. Neque enim repugnat, quod detur ap-

parentia veritatis circa aliquid, et circa suum oppositum.

XLV. Unde cum inter duas probabiles opiniones oppositas non negetur veritas unius absolute, et simpliciter, sed formetur iudicium sub quadam apparentia veritatis, hinc fit quod assensus probabiles oppositi, non sunt oppositi, et repugnantes formaliter, et absolute, sed objective, quia formaliter non affirmat unum quod negat alterum, sed dicit apparere, seu probari verum, et etiam oppositum apparere, seu probari verum, aut apparenter utrumque esse verum, non tamen absolute esse; ubi objectum illorum assensuum est hoc esse licitum, verbi gratia hoc non esse licitum, quæ sunt opposita; formalitas vero est apparere unum, et apparere alterum, non utrumque esse, et non esse.

XLVI. Et ad secundam replicam, quæ instat contra hanc solutionem, respondetur quod assensus probabilis iudicat de facto hoc esse verum, non absolute, et quoad esse vel non esse in re, sed quoad apparentiam, et probationem, id est, in ratione probabilis. Quod autem solum apparenter, seu probative, aut probabiliter est verum, dat locum alteri parti, quia involvit aliquam formidinem de illa propter incertitudinem qua assentitur, et ideo ipsemet assensus probabilis ex sua natura sic importat affirmationem de uno ratione apparentiæ, quod dat locum apparentiæ etiam, et probationi partis contrariæ, et ideo etiam stante iudicio de una parte quod vera sit non absolute, et in esse, sed probabiliter, et in apparere, stat etiam iudicium de opposita parte, quod vera sit non absolute, et in esse, sed probabiliter, et in apparere.

XLVII. Ad confirmationem respondetur, quod etiam de ipsa convenientia practica hic et nunc non

fit absolutum iudicium, aut consilium cum exclusione præcisa oppositi, sed fit iudicium de convenientia sub ratione probabili tantum, ita quod etiam oppositum apparet conveniens probabiliter: et idem est de consilio, quo ita consiliamur hoc ut probabile, quod etiam oppositum probabile, et apparens iudicatur. Et hoc iudicium, et consilium etiam ad partem practicam pertinet ut directivam, quia directio fit per consilium, et iudicium. Cæterum de convenientia practica, ut pertinet ad imperium, et ordinem executivum fatemur dari absolutum et determinatum iudicium hic et nunc, ut hoc fiat, et non suum oppositum. Et ita negamus dari posse in hoc sensu duo iudicia opposita, et contradictoria per modum imperii practici, ita ut efficaciter aliquis velit hoc facere, et oppositum. Sed probabilitas sententiarum, non attenditur penes imperium, quod pertinet ad dictamen executivum, sed penes dictamen directivum in ratione iudicii, et consilii, quod etiam practicum est consiliative, et directive non executive.

XLVIII. Dices: Ergo poterit dari bellum justum ex utraque parte; nam poterit esse duplex opinio contradictoria practice, et secure probabilis, et super illas fundari poterit bellum, et sic ex utraque parte erit justum, quia ex utraque parte est probabile practice, illudque efficaciter poterit imperari non ab uno et eodem, sed a diversis.

XLIX. Respondetur non posse dari bellum justum ex utraque parte in re, et per se loquendo, bene tamen per accidens, et supposita aliqua ignorantia, atque adeo quoad apparentiam, et probabilitatem non repugnat utramque partem belli apparere justam, et juxta hanc apparentiam, quæ habet adjunctam aliquam ignorantiam, quatenus non

sinit cognosci quid in re sit, non repugnat operari utramque partem juste per accidens. Per se tamen, et nulla interveniente ignorantia, id esse non potest.

L. Ex qua resolutione colliges, quomodo licitum sit ex duabus opinionibus probabilibus, alteram eligere, et sequi, imo et minus probabilem, dummodo practice probabilis sit (hæc enim semper est tuta) et quid sit quod determinet intellectum ad eligendum hanc sententiam præ alia, si æque probabiles sint. Declaratur hoc. Nam ut supra diximus, et firmavimus ex D. Thoma quodlibeto VIII, art. XIII, quæcumque opinio probabilis, si practice probabilis sit, potest prudentiale dictamen generare, quia illa est probabilitas practica, quæ temeritate caret, et imprudenter non procedit, si quidem habet fundamenta rationabilia, et cum sufficienti ratione, et apparentia, ergo generare potest dictamen prudentiale: omne autem dictamen prudentiale est regulativum actus boni, et virtuosi, quia prudentia est hæc quæ præstituit medium virtutibus: ergo actus ortus ex dictamine prudentiali bonus est. Ergo quæcumque probabilis opinio, etiam si minus probabilis sit aut æque, si probabilitatem practicam, id est, prudentialem faciat, licite sequi potest; ergo et tuto, quia sine peccato.

LI. Unde ulterius colligitur, omnem opinionem practice probabilem esse etiam tutam, si autem practice probabilis non sit, neque etiam tutam esse, esto speculative sit probabilis, et considerando illam secundum se, et non attendendo ad circumstantias hic et nunc occurrentes, istæ enim sub disputationem, et speculationem communiter non veniunt. Constat hoc, quia omne quod est licitum est tutum in conscientia, et e contra. Illud autem est

licitum quod regulatur per prudentiam, quæ est regula omnis actus boni, et virtuosus. Ergo omne illud erit tutum quod regulatur per opinionem practice probabilem, quia illud practice, quod est prudentiale, et hoc sive sit magis, vel minus, vel æque probabile, dummodo vere probabile, et prudentiale sit; sicut enim potest aliquid esse magis, vel minus prudens, nec oportet semper sequi quod prudentissimum est, ita potest esse magis, vel minus probabile practice, nec oportet sequi quod probabilissimum est.

LII. E contra vero, non potest esse tutum, quod prudentiale non est, quia sine prudentia non datur regula virtuosus, et boni actus, ergo ubi non est opinio probabilis practice, seu prudens non est tuta, quia non est prudentialis, licet speculative sit probabilis, aut defensabilis. Oportet enim juxta D. Thomam supra allegatum, quod quando sunt contrariæ opiniones, non judicatur aliquis in dubitationem ad hoc ut operetur, non committendo se periculo. Quando autem ex aliqua opinione ita aliquis operatur, quod componit prudentiale dictamen, non committit se periculo, nec in dubitationem practicam, seu prudentialem inducitur.

LIII. Quod autem sit, quod determinat judicium inter duas opiniones æque probabiles, dico quod potest esse, vel aliqua inclinatio et affectus voluntatis erga unam potius, quam erga aliam opinionem, vel aliqua major utilitas, aut commoditas, aut aliquid aliud simile, quod de novo repræsentatur, et movet intellectum, ut se determinet in judicio pratico, licet extrinsecum sit tale motivum. Nec est simile de eo qui est dubius practice, et de eo qui habet sententias æque probabiles, quia qui est dubius practice, ideo est quia sufficiens fundamentum, et

motiva non habet ut formet prudens dictamen determinate, et ideo fluctuat, et timide se habet, et quasi in suspensio hæret, et ita si operatur, committit se periculo; ut S. Thomas dicit, utpote operans cum dubitatione, et hæsitatione practica prudentiali. At vero qui habet opiniones probabiles, habet sufficientia motiva, ut ex qualibet illarum formet dictamen prudens, et se possit determinare practice modo prudenti. Unde non est dubius practice, quomodocumque utatur illis sententiis, potestque ad se determinandum uti extrinsecis motivis, non addentibus, vel tollentibus probabilitatem practicam, sed tollentibus, et determinantibus indifferentiam ad utendum potius ista, quam illa opinione intra limites probabilitatis.

ARTICULUS IV.

Quæ conscientia sit deponenda, et reformanda, et quomodo?

I. Conscientia deponenda, ut supra diximus, est triplex, dubia, scrupulosa, erronea, de quibus, et de modo deponendi illas agendum est, tum generaliter, tum sigillatim, et in particulari.

DUO SUPPONENDA.

II. Antequam tradamus principia, quibus utendum est ad deponendam conscientiam, duo oportet supponere. Primum, quod conscientia tunc est deponenda, et reformanda, quando tali depositione cognoscitur esse digna, scilicet, quod cognoscatur esse erronea, aut scrupulosa, etc. nec posse juxta illam operari. Nam si quis invincibiliter erret, non obligatur deponere talem conscientiam quamdiu sic erratur invincibiliter,

sed obligatio deponendi tunc incipit, quando quis advertit errorem, seu dubium, aut periculum talis conscientia, aut opinionis, quia stante periculo pratico est imprudentia, et temeritas committere se ad opus, semper enim peccatum est periculose operari, juxta illud Ecclesiastici: *Qui amat periculum peribit in illo.*

III. Secundo, supponendum est quod nulla conscientia, seu dictamen deponi debet, sine aliqua ratione, vel generali, sicut nimium scrupulosa sola generali ratione reformari debent, quia sine fundamento, et sola apprehensione plerumque dubitant, nec cum illis expedit in particulari plures disputationes protrahere; vel etiam speciali ratione destruendo dubitationem quam in tali materia habent. Pro sola autem voluntate, et libito operantis non debet deponi, aut reformari conscientia, ut communiter tenent theologi, soletque in hoc taxari Cajetanus, qui in hac quæstione XIX, arc. V dixit, quod ex quacumque causa deponatur conscientia dubia, sive ex libito, sive ex passione, satis est ut sit tutum et licitum, et ponit exemplum in femina, quæ audit a concionatore, verbi gratia, esse peccatum uti capillis alienis, et nescit solvere ejus rationes; si tamen sibi persuadeat etiam sine nova ratione non esse certum id quod concionator dixit, et continuet uti capillis alienis, non peccabit.

IV. Cæterum, hoc nullo modo tenendum est, sed pro certo supponendum, quod ad deponendam conscientiam dubiam, requiritur ratio aliqua practica, quæ dubitationem illam resolvat, quia sine ratione impossibile est formare dictamen prudentiale, cum tota ratio prudentia in ratione consistat, et in ipsorum mediorum adæquatione cum fine, quod sine ratione fieri non po-

test. Cajetanus autem loquitur in casu, quo illa mulier judicat rem illam esse minimam, aut non serio esse dictam a concionatore, sed per exaggerationem (ut plurimi solent) et ita hoc ipso utitur ratione ad deponendum illud dubium, quia resolvit ipsum, practice judicando esse quid minimum, et extra limites illiciti, et ad summum esse aliquem scrupulum impertinentem, et morosum, et sic deponi debere ex sola generali ratione, qua similes scrupuli ratione peculiari, aut disputatione deponuntur. Quare stante vero dubio, et non resoluta, vel reducto ad rationem rei minimæ, oportet non pro libito, vel sine ratione illud deponere, sed ex aliquo rationabili fundamento, vel ex proprio consilio si vir intelligens, et peritus sit, vel ex alieno, si non sit per se sufficiens; et hoc magis, vel minus, prout negotii qualitas postulerit.

QUIBUS PRINCIPIIS UTENDUM EST PRO DEPONENDA CONSCIENTIA.

V. Tria præcipua principia ex jure colliguntur pro deponenda dubia conscientia, seu dubitatione practica conscientia resolvenda. Primum est: In dubiis melior est conditio possidentis: Secundum: In dubiis tutior pars est eligenda: tertium: Ex duobus malis minus est eligendum. Ad hæc principia reducuntur alia, quæ in jure habentur, præsertim titulo de regulis juris in sexto, verbi gratia: In obscuris reo potius favendum est quam actori; quod ideo est quia reus est possessor, qui ab actore impetitur, et solum se defendit: item: In obscuris minimum est obsequendum; hoc est minus malum est eligendum: item: In obscuris inspicimus id quod verisi-